

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Prelacio cf cum fonte primo

Recolite quanta et qualia me
audiente atque probante

de administracione pontificis qui
populi sui commissa cura post habita,
ardencius bona presencia desiderat quam
futura, et oblitus quod non solum de se
sed eciam de grege sibi credito rationem
pastori pastorum omnium reddat, sua
suorumque detrimenta non cogitat quem
non delinquentium peccata contristant,
nec proficientium bona letificant; sed
de se tantum plerumque autem nec de se
omnino sollicitus, quid suis
boni aut mali uegetatur ignorat; qui non
predicat perseueranciam iustis,
penitentiam prauis, contemptum mundi
conuersis, futuras penas auersis.

Prosper de uita contemplatiua libro I.

Recolite ergo quanta et qualia, me
audiente atque probante,
dicere soleatis
de administratione pontificis, qui
populi sibi commissi cura posthabita,
ardentius bona praesentia desiderat quam
futura; et oblitus quod non solum de se,
sed etiam de grege sibi credito rationem
Pastori pastorum omnium reddat, sua
suorumque detrimenta non cogitat: quem
non delinquentium peccata contristant,
nec proficientium bona laetificant; sed
de se tantum, plerumque autem nec de se
omnino sollicitus, quid a suis
boni malive geratur, ignorat: qui non
praedicat perseueranciam iustis,
poenitentiam prauis, contemptum mundi
conuersis, futuras poenas auersis;
qui non potest dicere contemptoribus
admonitionis suae: Futurum cogitate
iudicium, quod ipse forte non cogitat;
amatoribus mundi: Nolite diligere
mundum, si eum mundi amor oblectat;
ambitiosis: Ambitioni finem imponite, si
eum ambitio ruinosam praecipitat;
ebriosis: Ebrietatem cavete, si se mero
usque ad alienationem mentis ingurgitat.

Iulianus Pomerius, *De uita
contemplatiua*, 1, 15 (PL 59, col.430C-
431A).